



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 120. Eleonora Imperatrix Pragæ in Bohemiæ Reginam inaugurata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. nec Veneti una Insula securius quam
 A. C. 1656. duabus incerto frui maluissent.

§. CXX.

*Eleonora Imperatrix Pragæ in Bo-
 hemicæ Reginam inaugurata.*

Orth. Chron. Interim Ferdinandus III. Imperator
Hung. p. 173. exeunte Mense Julio Pragæ comiti-
 habebat, in quibus præter belli subsidia Proceribus commendabat, ut Catholicam religionem restaurari, atque administrandis Paræciis dignos Pastores præfici curarent: postea die vigesima octava Augusti ipsemet Cæsar cum Eleonora Coniuge sua & Leopoldo Ignatio Hungariæ Rege ac Leopoldo Guilielmo Archiduce Pragam rediit, ubi Imperatrix die undecima Septembris Bohemici Regni insignibus ab Ernesto Adalberto de Harrach Cardinale & Archiepiscopo Pragensi ornata est. Publica lætitia haud parum augebatur fausto nuntio, quo Cæsari significatum quod Georgius Francipanus Comes Turcas, qui trajecto Danubio Croatiam invadentes, abductis secum Erdeödi Comite, ejusque Coniuge, rursus Mense Augusto irruptionem fecerant, cum nongentis Hungaris fuderit, fugaritque, & præter plures alios, tres Tribunos, ipsumque Bighatiensem Gubernatorem captos

captos unacum tribus vexillis abduxerit: Accepta hac clade Turcarum Imperator, etsi ejus copiæ non ita pridem iteratis invasionibus, ac incendiis Hungariam devastassent, nihilominus Legato ad Imperatorem misso querebatur, quod Hungari, & præcipue Buchemius, Forgatsius, aliique Belliduces violata pace hostiles incursus tentassent, acceptoque nuntio de illata apud Helespontum nupera clade Turcarum potentiam insolentius contempsissent: his ergo ausibus ut Cæsar obicem poneret, Legatum suum Constantinopolin decerneret. Insuper Mense Decembri ad finem vergente alius Orator a Turca Viennam missus vehementer adversus Hungaros exostulabat, eo quod hi nonnullos Turcicæ gentis Mercatores prope Comoram suis mercibus & vita spoliassent: postquam vero Cæsar plenam satisfactionem pollicitus erat, hic Orator Vienna discessit.

Sæc. XVII.
A. C. 1656.

§. CXXI.

Sueci a Polonis cæsi.

Cum Casimiri Poloniæ Regis, ac in *Tuld. l. c.*
Silesia exulis res omnino deploratæ viderentur, inter medias desperationis nebulas melioris fortunæ spes affulsit; postquam enim Carolus Sueciæ
B b 5 Rex